

2) Cod. Adm. 676

[f. Iv] ¶ Nota^{a)} secundum quod colligitur ex verbis philosophi in ethicis, politicis et rethoricis suis, proprietates et mo[re]s prudentis sunt iste. Primo quia sunt in multis timidi in quibus alii sunt audaces et hoc ideo quia prevident pericula. Item sunt in multis audaces in quibus alii desperant et hoc ideo quia prevident possibilitatem vincendi. Item sunt ad singula plus tacentes quam nimis loquaces et hoc ideo quia multa cogitant. Item sunt sententiose et graviter loquentes quia veritatem rerum sciunt et parum dubitant. Item sunt dissimulatores quia cavent alios premunire. Item sunt veri reprehensores et veri laudatores quia sciunt quid sit vere turpe vel honestum. Item habent maturos gestus quia quod sciunt volunt operari et quod sunt appetunt videri. Item sunt moderati et morosi quia sciunt quod modus debitus agendi exigit moram. Item^{b)} sunt plus parci quam liberales, assimilantur enim senibus qui non tantum [per] scientiam quantum per experientiam sciunt quod difficile est res ad[quirere] et facile perdere et ideo sunt illiberales^{c)} secundum morem eta[irum]^{b)}. Ex hiis igitur signis et causis cognoscitur vir prudens.

¶ Fortis vero cognoscitur ex hiis causis et signis. Primo quia plus est protervus quam timidus ubi agitur de ostentatione virtutis. Item plus amat victorias honestas quam cautas vel certas. Item in agressu plus habet de virtu[te] quam de furore et propter hoc moderate aggreditur. In actu vero plus habet de furore quam de virtute et propter hoc victoriam et vindictam perficit simul. Pusillanimes vero post victoriam addunt vindictam sine necessitate. Item non sunt iactatores sui ipsius quia vile reputant se laudari. Item non multum curant vituperia falsa quia sciunt quod de facili possunt probare contrarium, maxime in ope-

a) ¶ Inspice divinum. Inspice divinum vorangestellt. b-b) Am oberen Rand eingefügt. Durch Restaurierung ist das Pergament am Rand beschädigt; ergänzt nach „*moris etairi*“ Eth. Nic. VIII, 14 (1161 b 35) (AL [wie Anm. 114] S. 317). c) omnes vor illiberales durchgestrichen.